

**05  
A  
360**



25

D. T. O. M. A.  
DISPUTATIO PNEUMATICA  
*De*  
**ANIMA SEPARATA,**

Quam

*Amplissimā Facultate Philosophicā approbante*

*In*

Celeberrima Wittebergensium ACADEMIA

SUB PRAESIDIO

*Clarissimi & Excellentissimi Viri,*

**DN. M. JOHANNIS SCHARFIL,**  
Logices & Metaphysices Professoris Publici, Prae-  
ceptoris ac Fautoris sui plurimū observandi  
& honorandi,

Publicè

*discutiendam proponit*

**JOHANNES FLEUTER, NORTHUSANUS**

*Addem 28. Octebr. horis 17. matutinis in Auditore  
Majore.*



*WITTEBERGÆ,*

*Typis JOHANNIS HAKEN.*

*M.DC.XXIX.*

25

DIGITIZED BY  
UNIVERSITY LIBRARY  
Sachsen-Anhalt  
A.T.A.



05 A 360

Σὺν Θεῷ.

Præloquium.

Ritum illud apophthegma: γνῶθι σεαυτὸν, quod secundum Satyricum ē cœlo descendisse dicitur, bene si perpendamus inq; nos metipsoſ descendamus, reperimus, duas hominis ē quibus constitutus est, eſſe partes, animam unam, corpus verò alteram, quarum illa hanc multū nominibus antecellit, atq; ideo, ut p̄e hac ſub accuratioris considerationis incedem revocetur, & rei dignitas & maxima utilitas p̄tulare videntur. Quod ipsum hac vice bono cum Deo effectum dare constituimus. Non verò omnia illa, que de anima in genere diſputari poſſunt, in medium proferemus, ſed ea duntāxat, que ſtacum illius ſeparatum, ut vocant, concernunt, paucis adumbrabimus & explicabimus, ita quidem ut p̄ſens tractatio tribus includatur capitib; quorum primum ſtatū anime ſeparatæ, qualis ille fit, aperiet; ſecundum attributa quaedam, que anime in hoc ſtatu competant, recenſebit; tertium deniq; μεμυχων, ſive animarum migrationem, profligabit. Hoc ordine progrediemar, id quod felix faustumq; eſſe jubeat Altissimus!

CAPVT I.

De Statu Animæ ſeparatae.

I.

A' Niam cum corpore, non interire, ſed illo corrupto ſuperſtitem permanere, heic p̄aſſupponit, & infra ubi de animæ attributis, inter quæ primum locum obtinet ejus immortalitas, differen-

A' 2

dum

dum erit, magis probabitur. Quæritur ergo hicce status, in quo anima post separationem perdurat, qualis sit, an videlicet naturalis necne: quo de quæsito tres potissimum inveniuntur opiniones.

II.

Prima afferit statum hunc animæ esse ei violentum. Et in hanc sententiam Thomas descendere videtur, quando libr. contra Gent. c. 89. rat. 2. & 1. p. q. 118 art. 3, expresse scribit, quod contra naturam animæ sit eam esse separatam à corpore, licet alibi aliter loquatur.

III.

Secunda statuit statum animæ esse preter naturam ejus, & ita sentit Henric. Quodlib. 7. p. 13. Cajet. 1. p. q. 89. art. 1. Doct. Conimbr. disp. 2. art 2. assert. 1. tract. de anima separata, prout hæc à Scheiblero in Metaphysicis citantur.

IV.

Tertia afferit hunc animæ statum esse ei naturalem. Hæc recentioribus nonnullis arridet, eamque approbare videtur Seneca, quando Epist. 102. ad Lucilium ita scriptitat: *Quemadmodum novem mensibus nos tenet uterus maternus & preparat non sibi, sed illi loco, in quem videamus emititi, jam idonei spiritum trahere, & in aperto durare; Sic per hoc spatiū, quod ab infanthia patet in senectutem, in aliū naturā sumimur partum, alia nos origo expectat, aliū rerum status.* Nondum celum, nisi ex intervallō pati possumus. Prende intrepidus horam illam decretoriam respice. Non est animo supra, sed corpori. Et post pauca: *Transfundum est excutit natura redeuntem, sicut intrantem*: vide ibidem plura.

V.

Hæc ut rectius intelligantur, & ante quam, cui inter has sententias subscribamus, aperiatur, prænotandum quæ secundum, quæ præter, & quæ contra naturam Philosophis fieri dicuntur.

VI.

Secundum naturam fieri dicuntur, quæ pro modulo atque ordine, naturæ cuiuslibet rei in specie competenti, sunt, sicut naturaliter ignis sursum tendit, terra deorsum. *Præter naturam fieri* dicuntur ea, quæ tametsi non sunt ex præscripto naturæ, illi tamen nullam vim insignem inferunt, sed aliquo modo retardant, ut color iæteriorum fecundus, sex digitii in manu. *Contra naturam* dicuntur, quæ sunt con-

tra-



tfatia id est, quæ contra communem ejus cursum accidunt, sic lapi-  
dis jactus sursum contra naturam illius est.

VII.

Porro quoque notanda ast *descriptio violentii*, quam reperire li-  
cet apud Aristotelem 3. Eth. ad Nicom. c. 3. & ita habet: Violentum  
est, cuius principium ita est extrinsecum, ut ad illud nihil adjumenti  
conferat agens aut patiens. Verba Philosophi hæc sunt: Βίαιος δέ  
τον οὐδὲ πρόπτερον τοιάντα δον, ἐν τούτοις μὲν οὐ μέτα τοιάντα  
τον οὐδὲ πρόπτερον. Ex qua definitione patet, duo requiri, ut aliquid sit  
violentum i. ut principium ejus sit soris, 2. ut nihil adjumenti ad id  
conferat agens aut patiens.

IX.

Hicce ita præmissis asserimus 1. *Statum animæ separatae non esse est*  
*naturalem*. Hæc conclusio est contra tertiam opinionem, quæ hoc  
modo probatur. 1. Quicquid contingit propter peccatum, & illius  
pœnam, mortem videlicet, illud non est naturale. Atqui status ani-  
mæ separatae contingit propter peccatum, & illius pœnam, mortem  
videlicet. Ergo status animæ separatae non est naturalis. Majorem,  
puto, nemo negabit, nisi qui assertere velit mortem, quæ est ipissima  
pœna peccati, & in qua fundatur, & quam immediate sequitur status  
animæ separatae homini, & quidem primo (respiciendum enim est ad  
principium) suisse naturalem, quod à Θεόλογον. Minor probatur.  
Si enim Adam in concreata integritate persistisset, nec peccato se  
contaminasset, status animæ separatae nullum invenisset locum.

IX.

2. Quodcumque cedit in perniciem compositi, illud non est na-  
turale formæ, quæ homini est anima: Atqui separatio isthæc cedit  
in perniciem compositi: E. separatio isthæc non est naturalis formæ,  
quæ homini est anima. Major probatur, quia afferente D. Jacobo  
Martini lib. 2. Exerc. Metaph. exer. 2. theor. 8. pag. 570, forma natu-  
ræ in eo consistit ut 1. informet materiam & ita compositum constituat, 2. ab o-  
mnibus speciebus distinguit & 3. causa sit actionum in composito. Quicquid  
igitur horum nihil facit illud naturale, formæ dici nequit. Minor  
manifesta est, quia decadente anima & per mortem separata compo-

stum, homo scil. esse definit & moritur. Ad hoc argu mentum conatur respondere Scheiblerus, sed nihil solidi assert, nervumque attin gere non videtur.

X.

Affirmus ergo 2. statum anima separata esse ei præternaturalē & Iuo modo violentum. Præternaturalis, quia eam naturali perfectione, quam habet in corpore humano, cum quo esse perfectum constituit, carere facit, & retardat ac impedit multas ejus actiones, ob defecum organorum corporeorum, quæ sunt verba Clarissimi Domini Præsidis lib. 4. Pneum. i. pag. 103. Violentus, quia ex principio extrinseco provenit: Argumentum est ejusmodi,

Quicquid provenit ex principio extrinseco, ita ut agens auctor patiens nihil adjumenti conferat, illud est violentum: Atqui status animæ separatae provenit ex principio extrinseco, ita ut ad hunc anima nihil adjumenti conferat. E. status animæ separatae est violentus. Major est certa, & ab omnibus, qui rationem violenti non ignorant, conceditur: Minor ex antedictis constare potest, ubi assertum, pœnam peccati, & ita mortem, quæ omnino aliquid extrinsecum & violentum, esse causam & principium hujus animæ status. Firmo igitur tali stabit conclusio.

XI.

Ulterius animam ad hanc separationem nihil adjumenti conferre, exinde patescit, quod in statu isto dependentiam ad corpus habeat, & reunionem cum illo desideret; quod utique non futurum, si anima suam à corpore separationem promovisset, & ad illam aliquid adjumenti contulisset. Quia igitur separatio animæ à corpore ultimata causa habet peccati pœnam, nimirum mortem, & vero hæc est aliquid extrinsecum, concludendum omnino videtur, statum anima separata non esse naturalem, sed præternaturalem & violentum. Et tantum in præsentia rum de primo.

C. A.

# CAPVT II.

*De attributis, qua anima in statu separato competant.*

## I.

Inter attributa animæ primum occurrit ejusdem IMMORTALITATIS, de qua variae olim fuerunt sententie, cum quidam eandem, tūm intra, tūm extra Ecclesiam negatum iverint. *Intra Ecclesiam* Saducæi, qui tantum libros Moysis pro divinis habebant, mortalem esse animam affirmarunt, sicuti de illis resert Josephus lib. 18. Antiq. Jud. Hos secuti sunt alii Hæretici, ut meminerunt Augustinus lib. de Hærel. hærel. 85, & Eusebius lib. 6. Hist. Eccles. c. 27. aliquie complures, sicuti itidem resert Scheiblerus in parte speciali suæ Metaph. pag. 467. Nec operæ dispendium est, si hic notetur, quod de Johanne XXIII. Pontifice Romano Concilium Basileense sess. II. tom. 4. Conc. Venet. fol. 294, commemorat hunc ad modum: *Sæpe & saepius* coram diversis Prælatis, & aliis honestis ac probis viris pertinaciter Diabolo suadente dixit, asseruit, dogmatizavit vitam æternam non esse, neque aliam post hanc, quin imo dixit & pertinaciter credidit animam hominis cum corpore extingui, & mori instar brutorum animalium; dixit mortuum semel esse etiam in die novissimo minime resurrecturum. En egregiam Petri successoris, quem ab omni errore repurgatum volunt Catholicæ, fidem! Sed hæc & *ταῦτα*.

## II.

*Extra Ecclesiam* animos interitui obnoxios, & cum corpore emori putavit Epicuræorum grec, quem plurima turba tam Græcorum, quam Latinorum secuta est, quorum quoque vestigiis insistit Plinius lib. 7. Nat. hist. c. 55. Idem etiam docuisse Aristotelem, memorat Plutarchus de placit. Phil. c. 11. Plures tamen sunt, qui Aristotelem ita sensisse negant: qua de re nihil attinet operose heic disquerere, ac diffusum esse.

## III.

Constat tamen, hisce nihil obstantibus, præcipuos ex Philosophis animæ immortalitatem adseruisse, ut Socratem

tem in Phædro Platonis, Platonem in Timæo, & ante hos Pythagoram, & ante Pythagoram Phædronem, teste Plutarcho libr. alleg. & Cicerone i. Tusc. Senecam sicuti passim in ipsius Epistolis videre licet. Hinc Augustinus super Psal. 88. De animi, inquit, immortalitate multi etiam Philosophi gentium multa insceperant, & immortalem eam esse pluribus & multiplicibus libris conscriptum memorie reliquerunt.

IV.

Sciendum vero immortale aliquid dici posse dupliciter, vel per naturam, vel per gratiam. Immortale per naturam vocatur, cuius natura non potest admittere corruptionem vel juxta naturalem, vel juxta obedientialem potentiam. Et eiusmodi immortalitas soli Deo adscribitur, i. Tim 6. v. 6. Immortale per gratiam vocatur, quicquid à Deo ita est conditum, ut propter essentialem à materia segregationem per naturam, prout à Deo contradistinguitur, non corruptitur, præsupposito scilicet generali Dei influxu. Et hujuscemodi immortalitatem animæ nostræ tribuimus, quam sequentibus argumentis, ex naturæ lumine derivatis, statuminamus.

V.

**Primum:** Quicquid habet esse independens à materia, illud est immortale: Atqui anima rationalis habet esse independens à materia: Ergo anima rationalis est immortalis. Major constat, ut enim omnis corruptio oritur ex materia, ita etiam omnis fit per resolutionem in materiam. Quomodo autem id corrumpi poterit in materiam, quod non est ex materia productum, nec de se materia? Imò quod planè non pendent à materia, quod existere potest sine materia, quod de se omni conditionem materialem respuit? Tale quid cum sit anima, quis immortalitatem ei denegabit? Minor, quæ est animam habere esse independens à materia, probatur ex ejus operationibus immaterialibus. Quicquid enim exercet operationes à materia independentes, illius esse quoque à materia est independens: iam vero anima exercet operationes à materia independentes: Ergo animæ esse à materia est independens. Major hujus syllogismi exinde constat, quia modus agendi arguit modum essendi, & operationes indicant essentiam. Minor nota est, operationes enim animæ sunt intellectio & volitio, quæ sānè non pendent à materia, sed immateriales sunt, & à natura spirituali eliciuntur. Probat  
tuc



tur hoc exemplo eorum, qui ἔχοντες / quae est raptus mentis cum ces-  
fatione omnium operationum in inferioribus potentissimis patiuntur;  
hi multa vident & intelligunt, quae mente sensibus depressa nun-  
quam vel viderant vel intellexerant.

VI.

*Secundum argumentum concludit hoc modo: Si anima una cum*  
*corpore extinguitur, consequens est, Deum esse injustum: At vero*  
*Deus non est injustus: Ergo anima una cum corpore non extingui-*  
*tur. Majoris connexio probatur. Nam cum Deus sit rex & gu-  
bernator universi, & maximè hominum, ad justitiam illius pertinet,*  
*ut pro ratione meritorum ac demeritorum uniuscujusque, remune-  
ret probos, puniat improbos. Hoc autem si Deus non faceret in a-  
lia vita, quæ extincto corpore supersit, nunquam fieret, & sic mini-  
mè rerum humanarum justus esset gubernator. Constat enim à*  
*Deo in hac id vita non fieri, in qua plerumque pii multis casibus &*  
*ærumnis expositi sunt, impiis è contrario multis bonis affluentibus.*  
*Oportet igitur cum Deus sit justus aliam superesse vitam in qua &*  
*boni omnes justa præmia, & improbi omnes justa supplicia recipi-  
ant. Urget rotum hoc argumentum ad immortalitatem animæ*  
*probandam Chrysostomus 4. de Provid. ubi tandem concludit, per-  
inde esse, negare animam immortalem esse, atq; negare esse Deum,*  
*cum sit negare Deum esse justum, & qui justus non est, Deus non sit.*  
*Si, inquit, nihil est post hanc vitam, ne Deus quidem est; si Deus justus est, pro  
dignitate retribuci unicuique. Et sic relinquitur quod anima post mortem super-  
ficies maneat, ubi tum siat compensatio virtutum & vitiorum.*

VII.

*Et hæc sunt præcipua atgumenta pro animæ immortalitate, ex*  
*naturæ lumine deprompta, quibus major vis & robur accedit, si, quæ*  
*ex Scripturæ penu proferuntur, illis adjungantur. De fide enim*  
*certum est animam esse immortalem, sicuti ex verbis Christi Matt.*  
*10. v. 28. apertè colligitur, quando inquit: Nolite timere eos, qui*  
*corpus occidunt, an ipsam autem occidere non possunt. Hinc ani-  
mæ piorum post mortem dicuntur colligi ad populum suum & affer-  
vari Gen 25. v. 8. c. 39. v. 29 in sinum Abrahæ portari Luc. 16. v. 22. &c.*  
*Sed hæc non sunt hujus loci. Et tantum pro re nata pro adstruenda*  
*animæ immortalitate.*

B

IIX. Se-



## I X.

Secundum animæ attributum ponimus APPETITVM sive propensionem ejus ad corpus, quam multi in dubium vocarunt, ut Scotus 4. dist. q. 2. art. 3. & ejus asseclæ, quibus contrarius est Thomas, qui pro affirmativa concludit i. p. q. 75. art 1. ad sextum Abulensis in cap 22. Matth. quæst 222 ad 4, nec non, ut videtur, Augustinus lib. 12. super Gen. ad Lit. c. 35. Vide Scheiblerum in Metaphysicis, estque hæc sententia veterior & approbanda.

## I X.

Prænotandum autem primò appetitum esse duplicem, unum innatum, alterum elicitorum. Appetitus innatus nihil aliud est, quam naturalis inclinatio secundum quam res in aliquid bonum sunt propensæ absque prævia cognitione. Hæc inclinatio fundatur, vel in naturali potentia activa, & est naturalis inclinatio ad aliquid agendum, vel in naturali potentia passiva, & est naturalis inclinatio ad aliquid patiendum seu recipiendum. Elicitus est actio, qua voluntas prævia cognitione fertur in bonum prius cognitum, illudque appetit. Dicitur elicitus ideo, quia ex cognitione elicitorum. Est enim hic ordō: Intellectus nempe intelligit, & cognoscit rem aliquam; cognoscit etiam, in ea aliquam bonitatem, secundum quam res ista homini sit consentanea. Isthac cognitione præsupposita voluntas desiderat bonum præcognitum.

## X.

Deinde notandum: quod sicut anima non informat actu corpus per accidens aliquid super additum, sed per propriam essentiam; ita non sit formaliter apta informandi per aliquid accidens sibi superadditum, sed per propriam naturam. Unde quoque aptitudo illa informandi non ponit aliquid distinctum in se se ab illa, sed sola ratione. Cumque nihil in anima deprehendas, in quo appetitus informandi consistere possit, nisi formalem aptitudinem, utique hæc & non aliud erit ipse appetitus.

## X I.

Breviter hisce prælibatis fit assertio prima: *Anima separare inest appetitus innatus informandi corpus.* Probatur i. ut se habet materia etiam tunc, cum est absque forma ad formam, ita quoque se habet anima etiam tunc cum est absque materia ad materiam. Sed materia etiam tunc cum est absque forma habet appetitum naturalem ad formam sicut

Sicuti tuta cum est absque materia habebit appetitum naturale ad materiam, corpus videlicet. Connexio probatur. Ut enim appetitus materiae non distinguitur ab illa ex natura rei, ita etiam appetitus animae non distinguitur ab anima, sicuti modò dictum. Explicat hanc rationem Ruy tract. de anima sep. quæst 7. his verbis *Appetitus informandi in anima non est aliud quam formalis aptitudo*, aut *capacitas informandi*, sicut in materia non est aliud appetitus ad formam, quam *capacitas seu aptitudo recipiendi eam in se*: sed *anima in statu separationis non est minus ex se apta in formare corpus, quam erat in instanti sue creationis (rectius forsan generationis)*. Ergo nec minus appetit appetitu naturali informare, quam appetebat prius, sicut materia amissa una formam non minus eam appetit, quam prius. Hæc ille.

### XII.

2. Pro nobis ita argumentatur excellentissimus pariter Theologus & Philosophus D Jacobus Martini Exerc. Metaph. lib. 2. Theorem. 8 p. 564. Quodcumque separatum à corpore retinet potentiam agendi in corpore; id quoque retinet & conjunctionis cum corpore desiderium, propensionem & dependentiam. At anima separata à corpore retinet potentiam agendi in corpore: E anima separata à corpore retinet etiam conjunctionis cum corpore desiderium, propensionem & dependentiam. Major est manifesta. Minor probatur: Nam potentia illa animæ, sicuti jam antea dictum, realiter ab ea non differt.

### XIII.

*Assertio secunda sit: Haud absurdè etiam appetitum elicitem animæ separata tribui.* Etenim cum in anima sit appetitus innatus, illaque proprio quoque appetitu donata sit, id est, voluntate, cur ea in quæ propensa est, elicto actu non desideret? Accedit & hoc, quod quia anima qua rationalis, atque adeò qua volitiva, sit forma corporis: quid ni ergo poterit per voluntatem appetere quicquid ei, qua natura est competit, cum ejusmodi appetitus ab ea, ut notum est, proveneriat.

### XIV.

Huc non incommodè referri potest illud, quod de clamore animalium sanctorum Martyrum dicitur Apoc. 6. v. 9. & 10. quem locum ita παγαργάζει Gregorius lib. 2. Moral c. 6. Magnus, inquit,

earum clamor, magnum est desiderium tum resurrectionis, tum iudicij : tanto enim quæque minus clamat, quanto minus desiderat, & tanto maiorem vocem exprimit, quanto se in rei desiderium plenius effundit. Eodem sermone illum explicat Dn. D. Winckelmannus part. 3. in Apoc. c. 6. inquiens : Proficiuntur haec ratio ex desiderio restitutionis omnium, & beatæ resurrectionis. Nondum enim animæ beatæ in eo perfectionis statu sunt, in quo post novissimum diem associata suis corporibus, colligantur sunt, quia corpus altera scil. hominis pars, adhuc in corruptione heret, quod & ipsum omnino instaurari exoptat. Et postea subjungit : Clamare dicuntur desiderio resurrectionis & restitutionis corporum

#### XV.

Tertium animæ attributum ponimus INTELLCTIONEM, de qua tria potissimum declaranda veniunt 1. an quicquam omnino anima separata intelligat 2. quomodo intelligat 3. quidnam intelligat. De singulis ordine & breviter.

#### XVI.

Quantum ad primum attinet, omnem quidem ab anima separata esse & sic etiam intellecationem sequestrat Smalzius, quando contra D. Franzium, ep. a. y. 15 disp. de extremo iudicio S. 3. scribere non veretur : An spiritus ille qui ad Deum redit, & a corpore separatus est, sensu aliquo praeditus sit, & an voluptate aliqua fruatur ante adventum Christi, & ante conjunctionem istam novam Spiritus cum corpore glorificato, quod Deum olim datus est credentibus. Valde dubitanus, in aliter rem se habere creditus : Nempe quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est; sic vicissim spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse.

#### XVII.

Verum contra hanc sententiam, ut pote erroneam & falsam, eiusmodi formatur conclusio : *Anima separata omnino actualiter intelligit.* Nam ut ex supra dictis constat intellecção animæ est independens à corpore. Non itaque privatur anima hujusmodi operatione propterea, quod à corpore separetur. Quis tam impie despiciat, dicunt rectè Dd. Conimbricenses, ut torpentes credat sepulturum animas, totque seculis ottari, dum revivificant ipsi, ac si nihil nisi in Corpore, tanquam in agro, rusticorum more, moliri neverint. Et præclarè Cyrus ad Ciceronem lib. de Senectute : Mibi, inquit, nunquam persuaderi potuit tum animam esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasit & emigravit.

#### XIX. Secundo

## XIX.

Secundo quærito. videlicet quomodo anima separata intelligat, talis satisfaciat conclusio. anima separata per species, quas hec acquisivit, & secum asperiat. intellegit. Probatur: Omnes enim species acquisitæ in corpore permanent in memoria intellectiva animæ: quæ cum ipse sit intellectus, sequitur eas quoque permanere in anima separata; si manent, frustra non inerunt, sed propter operationem. Unde in illa datur recordatio, sicuti ex Scriptura constat. Recordatio autem non est nisi per cogitationem specierum, in mente præexistenter ad quas intelligendas cum actu applicatur mens, proprie dicitur recordari. Unde recordatio non posset dici, si Deus in sunderet alicui animæ cogitationem alicuius rei antea cognitæ, sed simpliciter esset cognitio.

## XIX.

Ex hac conclusione deducitur 1. quod anima post hunc vitæ statum retineat quarundam scientiarum hic acquisitarum & entitatem & earum usum seu actum, siquidem actus iste non pendet essentialiter à ministeriophantasmatum sed saltem secundum quid, scilicet quo ad modum hujus vitæ statui congruum. 2. Localem objecti alicujus distantiam nihil impedire, quo minus istud ab anima intelligi queat, siquidem non opus habet novas acquirere species ministerio sensuum, qui præsentiam objecti requirunt, sed simpliciter intelligit per conversionem ad species secum reservatas, vel etiani sortassis per revelationem divinitus sibi inditas & communicatas. Notanter dicitur sortassis, probabile enim est animas etiam res novas posse cognoscere per Dei revelationem, sicuti hoc modo quam plura absque dubio cognoscunt Angeli, qui habent similem statum statui animalium; neque etiam ad hanc revelationem ulla ex parte est vel animæ vel Dei repugnantia. Huic sententiæ subscribit Augustinus lib. 2. de cur. pro mort. agend. c. 15. Possunt, inquit, spiritus mortuorum aliqua, quæ hic accipiuntur, & quæ necessarium est eos nosse, spiritu Dei revelante cognoscere. Hoc tamen probe notandum, quod D. Gerhardus Tom. 8. Loc. de morte § 329. inculcat. Defunctus, inquit, sanctus quedam revelari non abnuimus, sed ex illis singularibus & extra ordinarios revelationibus non potest colligi regularis & ordinaria omniscientia, nec potest in illa statui fundamentum ordinari cultus, invocationis scilicet in Ecclesia. Hæc ibidem,

B 3

XX. Tertium

*Terium quasitum, quidnam videlicet anima separata intelligat  
sive cognoscatur, duabus icludatur conclusionibus: Prima haec esto:  
Anima separata cognoscit Deum & Angelos. Est enim in manu Dei Sap. 3.  
v.1. & statim atque a corpore soluta, beatitudinis fit particeps Apoc.  
14.v.13. Quia vero beatitudo requirit Dei cognitionem, utique anima  
beatitudinem consecuta, Dei cognitione non erit privanda. Anima  
quoque Angelos cognoscere, ex eo colligitur, quod ad horum  
societatem assumitur, cumque iis unam quasi Kempub. id quod  
sine notitia fieri haud potest, constituit.*

*Conclusio secunda: Anima separata non habet particularem notitiam eorum, que hinc in terris geruntur. Notanter dicitur particularis, ne excludatur cognitio generalis. Cum enim, inquit D. Gerh. loc. alleg. § 309, non sit veri simile, animas sanctorum vel ita securas, vel gaudio ebrias esse, ut nesciant in terris Ecclesiam Christo colligi, et tandemque multis pressuris, afflictionibus & persecutionibus obnoxiam esse, ideo pia & bona est cogitatio statuere, quod generalem eorum, quae Ecclesia in his terris adhuc militanti obtinat, notitiam habeant, & proinde a Christo, cui in cœlesti gloria praesentes sunt, boni aliquid Ecclesiae petant, maximè cum sint ejusdem corporis mystici membra, cuius caput Christus est, cumque charitas in vita æterna non excidat. Cor 13.v.18, interim ex eo nequit inferri, quod in specie singulas circumstantias & calamitates picorum habent perspectas &c. Rationem hujus rei innuit Gregorius lib. 12. Moral. c. 13, inquiens: sicut hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur ignorant: ita mortui vitam in carne viventium, & post eos qualiter disponantur, nesciunt, quia spiritus longe est a vita carnis &c. confer Colleg. Conimbr. disp. 5. de anima spear. art. 1. ad tert. Et haec de animæ attributis imprimæntiarum sufficiant.*

## CAPVT III.

*De animarum transmigratione.*

I.

*Quod in communi proverbio dicitur, nullam opinionem est tam*

tam absurdam, quin Patronos & affectus inveniat, id quoque heic loci comprobatur. Multi enim suere, qui concedentes animæ immortalitatem, arbitrati sunt certum earum esse numerum, easque de uno corpore in aliud transfire. Ita docuisse legitur Empedocles, Plato, Apollonius, Pythagoras &c. Idem ante sui conversionem se statuisse meminit Justinus in Dial. cum Tryphone. Quanquam autores harum opinionum variant. Quidam enim dicebant transsum solum esse animæ humanae ad alium hominem; quidam vero transfire eas ajebant ad corpora beluinae; & id quidem juxta conditionem vitae ante aetate, veluti porcos fieri qui indulsissent libidinibus; leones & lupos, qui fuissent crudeles; luscinas aliasque aves cantrices, qui fuissent musici; Vulpes, qui fuissent astuti &c.

### II.

Antequam vero certi quid definiatur, sciendum *μεταφύσιον* esse vel *աշխատանք* sive *Ethica*, vel *substancialis* sive *Physica*. Illam vocamus, qua homines propter vitia humanum exunt animum, & assimilantur brutis, ac naturam, vel pororum vel luporum induunt. Hanc vero, qua homines non moraliter, sed essentialiter transmutantur in bruta. De illa opinionem Platonis interpretatur Alcinous lib. de doctri Plat. c. 10. & August. l. b. 7. de Gen ad Lit. c. 10. docet Platonem non docuisse transformationem realem in animalia bruta, sed affectivam, non in pecorum membra & effigiem, sed in eorum affectus. Et hoc quidem modo intellecta transmigratio haec nihil absurdum habet, qua propter eandem à praesente tractatione dimitimus. Posteriorem vero sive substancialem transmutationem improbamus & reprobamus.

### III.

Nunc assertur I. *Anima humana non potest transfire in aliud numero distinctum individuum*. Ut enim ex Metaphysicis constat, individuationis substantia corporae pendet à formæ individualitate, et pars sit principalis compositionis. Ex quo relinquitur idem esse individuum, quod eandem numerum formam in eadem materia habet. Absolutum itaque erit esse diversa numero individua, & tamen eandem numero (non aliam) habere formam. Insuper animarum è corpore in corpus migratio evertitur ex eo, quod nihil omnino eorum, quæ antea fecerunt, meminerint. Non enim poterat corporis admixtio in totum universam ipsorum, quia

qui antea habita erant, extinguere memoriam & contemplationem,  
& maximè ad hoc venientes verba sunt Irenæi lib. 2. c. 58.

IV.

Affertur 2. Anima humana non potest transire in corpora brutorum;  
Si enim hoc, tunc anima brutorum esset immortalis, intelligens &c.  
neque corpus impedire istud valeret cum omnis operatio, & illius de-  
terminatio sit à forma, non à materia. Scitè Tertullianus in Apol.  
c. 48. Si quis Philosophus affirmet, ut ait Labertus de sententia Pythagoræ,  
hominem fieri ex mulo, calubrum ex muliere, & in eam opinionem om-  
nia argumenta eloquii virtute distorserit, nonne conensem movebit  
& fidem faciet etiam ab animalibus abstinendi? Propterea, qui hoc persuasum  
habet, caveat ne forte bubulan de aliquo proavo suo obsonet. Sed error hic  
uti admodum crassus ita diutius eidem immorari haud operæ preci-  
um videtur. Quamobrem heic cum bono Deo, cui fit laus,  
honor & gloria seculis nunquam finiendis,  
finimus.

---

Amica gratulatio

Ad

Prastantiss. & Literatis.

Dn. Respondentem,

Contubernalem & popularem suum suavissimum.

I. Immortalem animam non credidit impia quondam

Turba, & propterea permaduit vitia:

Immortalem animam nunc plurima turba faretur

Verbu, sed vita criminibusq; negat.

Tu Fleutere, bonus fixxit præcordia Titan

Cui meliore velut res probat ipsa luto,

Immortalem animam verbis vitaq; probando,

Præmia in hac vita, & magna sequente feres.

f.

à  
Johanne Santiago.

F I N I S.



05 A 360



V317





# Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

B.I.G.

25

O. M. A.  
PNEUMATICA  
De  
A S E P A-  
T A,  
Quam,  
te Philosophicā approbante  
In  
bergenſium ACADEMIA  
PRAESIDIO  
Excellentissimi Viri,  
ENNIS SCHARFII,  
es Professoris Publici, Prä-  
sui plurimū observandi  
morandi,  
ublicē  
ndam proponit  
EUTER, NORTHUSANUS  
ris à 7. matutinis in Audito-  
Majore.



BERGÆ,  
ENNIS HAKEN.  
CXXIX,